

- 2 tus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri pu-  
 blice datum, quantum uno die ambire <vomere> po-  
 tuisset. Statua quoque ei in Vulcanali posita.
- 12 Cum Porsenna rex urbem obsideret, Mucius Cor-  
 dus, vir Romanae constantiae, senatum adiit et veniam 5  
 2 transfugiendi petiit necem regis repromittens. Accepta  
 potestate in castra Porsennae venit ibique purpuratum  
 3 pro rege deceptus occidit. Apprehensus et ad regem  
 pertractus dextram aris imposuit, hoc supplicii a rea  
 4 exigens, quod in caede peccasset. Unde cum miseri- 10  
 cordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens  
 5 ait trecentos adversus eum similes coniurasse. Qua re  
 6 ille territus bellum acceptis obsidibus deposuit. Mucio  
 7 prata trans Tiberim data, ab eo Mucia appellata. Sta-  
 tua quoque ei honoris gratia constituta est. 15
- 13 Porsenna Cloeliam nobilem virginem inter obsi-  
 des accepit, quae deceptis custodibus noctu castris  
 eius egressa equum, quem fors dederat, arripuit et  
 2 Tiberim traiecit. A Porsenna per legatos repetita  
 3 reddita est. Cuius ille virtutem admiratus cum qui- 20  
 4 bus optasset in patriam redire permisit. Illa virgines  
 puerosque elegit, quorum aetatem iniuriae obnoxiam  
 sciebat. Huic statua equestris in foro posita.
- 14 Romani cum adversus Veientes bellarent, eos sibi  
 hostes familia Fabiorum privato nomine depoposcit: 25  
 2 et profecti trecenti sex duce Fabio consule. Cum saepe  
 victores exstitissent, apud Cremeram fluvium castra  
 3 posuere. Veientes ad dolos conversi pecora ex diverso